

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1377

Auteur(s) : Renaud Dubosc [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1170-1204]

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Transaction de Renaud Dubosc et de sa femme Matilde, fille d'Osbert de Cailly, touchant plusieurs différents entr'eux et les abbé et religieux de Saint Ouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 436-437.

Dissertation critique

L'usage de la monnaie angevines suggère que cet acte date d'avant 1204. Le style de cet acte (sans date, avec une longue liste des témoins) aussi nous invite à le dater de la période de la fin du XIIe siècle au début du XIIIe siècle. Cf. Renaud Dubosc (Renaudus de Boscho) et sa femme Mathilde, fille d'Osbert de Cailly, apparaissent dans une charte datée du mai 1217 : DELISLE/POISSY, Mémoires et notes de M. Le Prévost ... département d'Eure, t. 1, p. 189.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quorum notitiam præsens scriptum pervenerit ego Reginaudus de Bosco, et Matillis uxor mea filia Osberti de Calleio, salutem. Noverit universitas vestra, quod cum inter nos et abbatem et monachos S. Audoeni Rothom. super quibusdam pro pasturis forestæ de Selveison, in quibus ipsi temporibus antecessorum nostrorum tanquam in dominio ecclesiæ suæ quasdam villas construxerant, et quibusdam aliis essartis, in quibus erbagium et alias consuetudines nos habituros dicebamus, controversia verteretur. Controversia illa in hunc modum terminata est et scripta. Videlicet quod nos quicquid in propasturis, et in essartis factis in pertinentiis forestæ habere dicebamus, quietum dimisimus. Ita quod nos in eisdem propasturis aut in essartis factis nihil de cætero poterimus reclamare. Sed ipsi poterunt terras essartorum factorum in usus proprios convertere et excolere, et inde facere voluntatem suam, sicut de dominicis terris suis. De magna vero foresta de Selveisons possunt dicti monachi, sine aliqua calumnia, quam adversus eos movere possimus aut debeamus dare aut vendere, absque exitio aut destructione forestæ. Neque nos possumus vel debemus in prædicta foresta, aliquem disuadiare propter aliquod forisfactum, nec capere propter aliquam manuum operationem quam in ea faciat, nec aliquis per nos. Præterea sciendum est quod nullus qui in haya Gonnor per nos reseantisam fecerit, vel terras in haya illa excoluerit, potest habere nec debet, in prædicta foresta quietantiam herbagii vel pasnagii, aut alterius consuetudinis, occasione libertatis nostræ de feodo Calleii, quia neque nos, nec antecessores nostri occasione hayæ illius in præfata foresta libertatem aliquam habuimus, nec habere debemus, nec aliquis per nos. Nos autem præscriptas

conventiones, tactis sacrosanctis Evangeliiis juravimus, pro nobis et hæredibus nostris fideliter observaturos prædictis monachis, et eorum successoribus in perpetuum. Et exin dederunt nobis prædicti monachi viginti et quinque libras Andegauenses. Et ne id possit in irritum revocari, sed firmum et invulsum futuris temporibus permaneat, idipsum ego Reginaudus præsentis scripti testimonio. Et ego Matillis uxor ipsius Reginaudi sigilli nostri appositione roboravimus. Testibus Ioanne de Pratellis. Amaurico de Villers. Vvillelmo de Milonis-Mesnil. Galfrido de Mesnillo. Oudardo de Cousdun. Vvuillelmo de Offreville. Petro de Cantelu. Durando de Orgeville. Euroino de Keureville. Drocones, Hugone tunc camerariis abbatis, et aliis.